BENEDICTUS DE NURSIA. CONSUETUDINES UND VISITATIONSURKUNDE VON WEIHENSTEPHAN
2. Hälfte 15. Jh. Seite 23v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26400
Copyright: Admont, Benediktinerstift



et sua aliena vulnera non detegere et publicare

De significanda hora operis dei Cap. 41 m

Nuncianda hora operis dei die noctuque sit cura abbati aut ipse nunciare aut tali fratri sollicito iniungat hanc curam ut omnia horis competentibus compleantur. Psalmos autem vel antiphonas post abbatem ordine suo quibus iussum fuerit imponant. Cantare autem et legere non presumat nisi qui potest ipsum officium implere ut edificentur audientes. Quia cum humilitate et gravitate et tremore fiat et cui iusserit abbas

De opere manuum cottidiano Cap. 48 m

Ociositas inimica est anime et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum certis iterum horis in lectione divina. Ideoque hac dispositione credimus utraque tempora ordinari. i. ut a pasca usque ad kalendas octobris a mane exeuntes a prima usque ad horam pene quartam laborent quod necessarium fuerit. Ab hora autem quarta usque ad horam quasi sextam lectioni vacent. Post sextam autem surgentes a mensa pausent in lectis suis cum omni silentio aut forte qui voluerit legere sibi sic legat ut alium non inquietet. Agatur nona temporius mediante octava hora et iterum quod faciendum est operentur usque ad vesperam. Si autem necessitas loci aut paupertatis exegerit ut ad fruges recolligendas per se occupentur non